ANALECTA QUAEDAM CIRCA OPHTHALMOSCOPIAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XII. M. APRILIS A. MDCCCXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

ERNESTUS GUIL. HERZOG
ANHALTINUS.

OPPONENTIBUS:
G. ROCHLITZ, MED. DD.
E. GABLER, MED. CAND.
L. ROTHMANN, MED. CAND.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

P A T R I

OPTIMO AC DILECTISSIMO

HENR. G. HERZOG

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATA PIAQUE MENTE

D. D. D.

FILIUS.

Nunquam ab aegro discedas in acutis et inflammatoriis, nisi oculos inspexeris: Quando illos a naturali statu mutatos videbis, time semper, sicuti post opiatum in in dysenteria, post chinam chinae in magno primarum viarum apparato: Constrictio in his casibus indebite humore noxio, praecipitat aeger, et praecipitii signa, oculia naturali statu mutari ostendunt.

Georg Baglivii opera omnia medico-practica et anatomica Lib. I. pag. 77. Norimbg. MDCCLI.

Introductio.

§. 1.

Oculi semiologia seu Ophthalmoscopia haud dubie gravissimis disciplinis interponenda est, quod et antiquioris et recentioris aevi scriptores, qui circa pathologiam semioticen et therapeuticen versati sunt, satis abunde testantur. Iam Hippocrates in Libr. epid. Sect. 6. egregie: „si, inquit, oculi robusti non sint, mors imminet;" idem alibi: „ut valent oculi, sic et homo." Inter recentiores artis salutaris sectatores Willbrand in opere physiologico pag. 321 — 322. de oculi dignitate haec habet: „Visus organon et ipsum multis morbis est obnoxium, et variis abnormitatibus habituque suo medicis diagnosin investigaturis symptomata quaedam offert, totius corporis morbos indicantia. Cuiusvis aegroti oculus medico ingeniose scisci-

tanti, nec non hominum naturam moresque indaganti tantae dignitatis esse debet, ut observationibus circa eum institutis hominum saluti prodesse studeat.

Plures etiam auctores acutissimi in scriptis suis passim oculi efficaciam circa mimicen faciei evolutionesque ingenii et animi intensivas significaverunt atque vindicaverunt, v. c. Galenus, Plinius, Cicero, Montagne, Baco, Ernesti, Haller, Sulzer, Wolff, Gellert atque Lavater.

Quod ad aestheticen pertinet, tam veteriores quam nuperiores poëtae oculi laudes carminibus extulerunt, et mimicas huius organi rationes celebrare studerunt, ut Homerus, Schiller, Goethe, Sheridan aliique.

§. 2.

Aut salutem aut mortem futuram esse, oculus in morbis denotat, quapropter medici ingeniosi exercitatique, simulatque aegroti cubiculum intrarent, vultus suos celeriter ad oculum cubantis verterunt, eumque exacte observarunt et indagaverunt, dein vero morbi diagnosin atque prognosin mirabili cum evidentia stabiliverunt. Attamen facultas illa, solis oculis morbum et medicinam inveniendi, ingenio artificis nativo tantum propria est, nullisque praeceptis nunquam impertiri potest.

Oculus hominum qui sanae mentis sunt, Psychen argutiasque plasticas evolutionem animi notat; mens, ratio ingenii acumen et cogitatio ipsa, idea alacerrima animaeque vigor effigiem quasi manifestam in oculo adipiscuntur, et idearum copia perinde ac antitheses eius, simplicitas, stoliditas et fatuitas hocce organo depinguntur. Hanc ob rem Cicero verissime et lepidissime: „Nihil inquit est difficilius quam a consuetudine oculorum mentis aciem abducere.“ Porro etiam singulae hominum aetates peculiarem mentis animaeque indolem oculo manifestant. Infantuli oculus innocentiam, pietatem suavesque blanditias ostendit, quoniam nihil animae immiscetur, quod fallere possit. Aetate maturiori ac iuvenili libertatis imago, vigor vitalis, amor et desiderium oculi orbem tenent. Virile aevum gravitatem, vim, tenacitatem, patriae amorem, enthusiasmum et strenuitatem per oculorum specula exhibet. Senectus denique temporis limites repraesentat, senum enim oculi experientiam cum vanitatis imagine expromunt, cornea tunica durior, minus splendida quam virilis oculi esse cousuevit.

§. 3.

Multae corporis affectiones visus organon afficiunt, quam ob rem contingere solet, ut non solum ipsi oculorum morbi hocce modo in con-

spectum prodeant, verum etiam commercium illorum cum cerebro, pectore, ventre, caeterisque partibus cognitionem eorum suppeditet, quae in organis recensitis morbose mutata sunt.

§. 4.

Animi affectuum et cupidatum circa oculos efficacia.

Actiones animi affectuum et cupiditatum, quae in sensorio communi primitus nascuntur et hinc inde cum vita oculorum communicantur, eorumque functiones et lucis evolutiones vel cohibent vel adaugent, prout totum organismum aut singulas eius partes excitant vel deprimunt, his fere comprehendi possunt:

Laetitia vultum reddit alacriorem, et colore faciei rubicundiore, nec non oculis lucentibus igneis sese exprornit.

Amor felix in oculis maxime exsultat, omnes huius organi partes uberiori vita imbuit et iris velut aquis perfusa apparet, quapropter Chrysippus apud Plutarch IV de placitis Philos. Cap. 15: „perfunduntur ex oculo radii ignei." Amor infelix sequentes oculo notas exhibet: tristitia et desiderium palpebras ambeunt, oculos pavide aciem

suam circumfert, pusillanimitas atque luctus iacturae sensus et desperatio ab oculo repercutiuntur, bulbi motus tardi sunt atque languidi.

Pudor vultum demittit in terram, oculus ad dimidium clausus, palpebras modeste committit, timideque ex iis prospicit.

Timor oculi inquietem ac trepidationem offert, eumque plus solito prominere iubet; oculi motus celeres huc illuc vertuntur, vultus immobilis atque mobilis alternant, pupilla amplificata potius quam contracta apparet, attonitus oculus angorem simul et formidinem expromit, palpebrae magis retractae, cilia flexa palpebrisque adversa conspiciuntur, qua de re Frommann merito dicit: „Invalescente metu sub palpebris turbidi refugium quaerunt.“

Sollicitudo et Desiderium adspectu oculorum languido significantur, facies oculi turbida, motus tardi, vultus moesti sunt. Sin affectus in desperationem omnisque fidei abolitionem vertitur, illae animi turbae convulsivis et formidolosis vultibus stipantur.

Iracundia nullus animi affectus tanta cum evidentia et perspicuitate ab oculo repercutitur, quam ineffrenata iracundia, quippe quae daemonis atrocissimi imaginem in eo depingit; hinc Goerres: „Iracundia inquit venas tumefacit, oculisque scintillas et flamas elicit.“

Invidia et livor luculentissimis imaginibus in oculo sese produnt, supercilia et palpebrae magis contrahuntur quam expedite moventur, oculus magis introrsum versus terramque intuens, aliorum vultus sustinere nequit, per intervalla omnibus imperare cupit, torvus evadit atque invidus, pupilla contracta potius quam dilatata observatur. Palingenius merito versus aliquot huic affectui dicavit:

„- - - improba pestis
Diffundens sese totos contaminat artus,
Praesertimque oculos angit."

Simili ratione virtutes et vitia hominum in oculo cernuntur. Latro et homicida nequitiam, tyrannus hominum contemtum odiumque oculis exprimit, scelerumque conscientia manifestissime in iis detegitur. Torvi et subdoli illorum oculi per palpebrarum rimas micant, nec ulla unquam simulatio per longius temporis intervallum malefici vultum exhilarare valet, sed omnia nequitiae flagitiique studium portendunt.

§. 5.

Qualis oculus ante crisin, inter et post eam spectetur.

Singulus quisquis status corporis, phaenomenis criticis conspicuus, oculis indicatur.

Ante introitum criticarum perturbationum seu in stadio cruditatis, quod dicitur, oculus irrequietus atque varius, quin imo ferox, exacerbationis tempore lucens, rutilus atque flammeus est, breve post crisis accessum, summum vigoris fastigium attingit, sic ut facili negotio vitae mortisque certamen cernere possis.

Inter ipsam criseos evolutionem vigor ille insolitus torvusque oculi remittitur, nisi inter crisin vita extinguitur. Quod si fit, oculus praeter opinionem tranquillus et languidus, vultus rigidus evadit, iris sensibilitate quasi destituitur; sin contrarium est, summa lucis impatientia (Photophobia) oculum occupat. Boerhaave stadium criticum in institutionibus Viennae MDCCLXXV pag. 359. §. 937. hisce verbis describit:

„Primaria illa symtomata critica, et signa sunt haec, quae crisin evacuantem praecedunt; post coctionem tempore critico, subito, sine nova manifesta morbi causa, oriens stupor, somnolentia, sopor, vigiliae, delirium, anxietas, dysponoea, vox molesta, rigor, dolor, rubor, titillatio, punctura, gravitas, densitas in parte, tenebrae, splendor, lux, lacrimae spontaneae in oculis, nausea, aestus, sitis, retractio hypochondriorum, tremula agitatio labii inferioris.“

Post criticas turbas, quibus conspiratio functionum corporis paulatim redintegrata succedit,

oculus tranquillior, vultus blandiores evadunt, nec oculi amplius sine lege huc illuc flectuntur.

§. 6.

Qualis oculi ratio sit in morbis animi.

In animi affectibus, quibus saepenumero vitium idiopathicum manifestum cerebri systematisque nervosi subest, turbae mentis luculenter in oculo se expromunt, imo permulti mentis morbis liberati diu ferocitatem quandam pavidam, et ambiguum quasi vultum oculis suis portendunt, seu ut brevibus dicam, oculorum acie signum evidentissimum exhibent, mentis functiones aliquando turbatas confusasque fuisse. Propterea vesanorum oculus medico diagnosin et praesagium indagaturo certissimum subsidium offert.

Non immerito F. G. Gmelin in pathologia generali pag. 174 — 175 haec profert: „Phaenomenis constantissimis vultus alienatus accensendus est, qui quasi speculum animae exhibet; oculi nunc ferociter volvuntur, nunc eodem semper defiguntur, nunc turbidi sunt ac demissi aut languidi et vigoris expertes.

I. Amentia; oculus amentium citra attentionem huc illuc vagatur, sed tardius circumfertur, vultus languidi quasi exanimes humum intuentur, et immobiles haerent. Cretinismus, amentia hae-

reditaria sive congenita, oculos ostendit pusillos, qui plerumque subsidunt, vultusque rigidos turbulentos circumferunt. Acies plerumque illaesa videtur, licet neque colores distinguere, neque distantiam metiri possit; praeter ciborum desiderium nihil fere motum aliquem illis extorquere potest.

II. Moria. In moriacorum oculis morbosa idearum vicissitudo, quam cogitationes agnoscunt, luculentissime cernitur. In universum oculus eorum incertus, securus consiliique expers vagatur; sin aegrotus dynasten, v. c. imperatorem regemve se opinatur oculus placidus contentusque omnia intuetur, si amore fotum sese existimat, benevolentia, voluptas, summaque beatitas ab oculo funduntur.

III. Melancholia. Oculus melancholicorum misanthropiam, pervicaciam, morositatem testatur et rerum infinitarum studium, tristes meditationes, exprimit; sub his apathia quaedam rerum externarum, mentis tenebrae et calamitas ex eo cognoscuntur. Vultus morosus atque rigidus, diffidentiam, dolum aut desperationem portendit. Si mysticismus et fanaticum religionis studium melancholiae ansam suppeditarunt, in oculis plerumque fanatismi vestigia cernuntur.

IV. Mania. Maniacorum oculi vultibus torvis et fulminantibus iracundorum similes sunt, ve-

rumtamen irâ animi affectum periodicum, mania vero permanentem potius sistit; ferocitas morbosa cum lucis emanationibus scintillantibus inordinatisque oculo insidet; impetuosam autem ac terribilem oculorum scintillationem et fulminationem maniacorum oculi inter ipsum paroxysmum exhibent.

§. 7.

Oculi adumbratio nonnullis in morbis, qui perspicue sensibilitatem corporis adaugent.

Effigies oculorum in hypochondriasi.

Oculi faciem morosam invidam offerunt, subdole circumspiciunt, aegrotique saepissime vertiginem, diplopiam, scintillas seu suffusionem scintillantem seu marmoryge seu Photopsiam seu muscas oculis obvolitantes (mouche volante) conqueruntur; his quandoque aurium susurrus ac tinuitus supervenit, ita ut merito contendere possis, hypochondriaci oculum fidissimam animi lugubris imaginem prae se ferre, etenim moestitia anxietas, metus, sollicitudo ac desperatio alternis vicibus hypochondriacorum vitam obruunt. Cum eiusmodi homines vitiis hepatis bilis et venae portarum conflictantur, tunica albuginea vel sordida

vel crocea apparet, sed iis quoque in exemplis, quibus materiales causae hypochondriam induxerunt v. c. infarctus, obstructiones et sanguinis stagnationes in ventre, faciei color flavidus luridus et pallidus, albuginea flavo pigmento infecta, oculi languidi orbiculisque intense caeruleis cincti sunt.

Oculorum habitus in epilepsia.

Indoles oculi in hocce morbo chronico et periodico singularis esse consuevit; vultus enim tum in epilepsia idiopathica tum symptomatica languescunt, immobilitatem ostendunt, et si diutius epilepsia tenuit, cerebrum subegit, mentisque facultates subvertit, adspectus reapse fatuus exanimi haud absimilis esse solet. In iis morbi caduci exemplis, quibus post mortem exostoses vel aliae cranii cerebrique degenerationes, praecipue a violentiis externis caput opprimentibus natae reperiebantur, oculus maxime languidus et meticulosus apparuit, et pupilla tantum praeter modum dilatata fuit. Sin morbus comitalis e paederastia vel Onania originem traxit, oculi non solum languidi aquosique sunt, verum etiam annuli caerulei nunquam absunt; idem accidere iis consuevit, quibus vermes epilepsiam fecerunt. Priusquam insultus epilepticus incursat, oculi ferociter in orbitis volvuntur, quocirca peritissimus ille Stoerck (Ant. L. B. de Stoerck praecepta medico-practica etc.

Viennae Austriae 1778. Tom. I. pag. 343 - 344. refert: „Admodum frequenter nihil omnino observant, et hilares, perfectaque sanitate gaudere videntur, subito vero oculos rotant, aut in facie pallescunt et multis praesentibus, nemine opinante concidunt, ut exinde non parvus adstantibus incutiatur terror, nec pauca exstant exempla, ubi excitato tali terrore praesentes antehac sanisate illibata praediti, eodem modo difficulter admodum posthac curando correpti fuere.“

§. 8.

Indoles oculi in morbis quibusdam vegetativi systematis.

I. In morbo verminoso tum antiquiores, tum recentiores artis salutaris professores, oculorum phaenomena in censum vocanda iudicarunt. Ut vero diagnosis certa hocce modo eruatur, oculi conspiratio cum reliquis organismi phaenomenis, praesertim sub plenilunium eiusque decrementum consideranda venit, siquidem experientia edocti scimus, symptomata sub illud tempus luculentissime et evidentissime in lucem prodire. Prae ceteris pupillae dilatatio adest, oculus splendorem aqueum et albuginea tunica faciem ex lacteo caerulescentem, hebetemque offert; insimul saepenu-

mero motus palpebrarum oscillatorius, et orbiculi caerulei oculum ambeuntes animadvertuntur.

Saepius etiam inter morbum verminosum diuturnae oculorum inflammationes observantur. Mutationes oculi ac dilatatio pupillae in helminthiasi sensibilitatem affectam vegetativi systematis contestari videntur.

II. In tussi convulsiva. In primo huius morbi stadio oculus speciem offert, tanquam catarrhus appariturus sit, turbidus enim atque hebes, albuginea interdum rosea animadvertitur; saepe etiam spontanea oculorum lacrimatio supervenit. Secundo in stadio, quod faciem ostendit turgidam rubicundam, nonnunquam bruneam, oculi ex orbitis procedunt, sanguis in vasa minora albugineae infunditur, totaque coniunctiva interdum sanguinis ruborem prae se fert. In tertio denique stadio oculi quidem habitus maxime languidus apparet, attamen indoles eius aquosa decrescit. Notam characteristicam hoc in stadio annuli oculorum caerulei portendunt, quippe qui per totum huiusce periodi cursum continent. Ubi reversiones eveniunt, oculus torvus observatur in orbita subsidens, iris speciem laxam ex fusco rutilam exhibet, albuginea sordida, turbidaque est, in angulis muci colluvies maior deprehenditur, haec symptomata constantia esse solent, si morbi

tussis convulsivae secundarii vitae discrimen inducunt.

III. In morbillis. Priusqum morbilli prorumpunt, febris cum affectionibus catarrhalibus, tussis, sternutatio, oculorum lacrimatio etc. praecedere consueverunt. In stadio irritationis seu febrili praeter alias notas circa oculum impatientia lucis, prurigo, sensationes dolorificae et rubedo, profluvium materiae acris ex oculo, naribusque observantur. In stadio eruptionis color oculi minus ex igneo rubicundus, quam e pallido rutilus, morbillis malignis aqueus atque hebes est. Nonnisi ubi morbilli synochicam referunt indolem, oculus ruberrimus lucisque impatientissimus invenitur. In florescentiae stadio oculi languidi circumspiciunt, rubor eorum penitus evanescit, atque iris laxam offert speciem. In stadio desquamationis pristinum oculus habitum recuperat, insimul autem languoris aliquid cum splendore in albuginea auctiori ostendit. In iis morbillis, qui vel nervosam, vel putridam indolem expromunt, oculus ab initio rubet, fulminat, et lucem perhorrescit, pupilla plus solito contrahitur; natura morbi nervosa altius evecta, oculus trux evadit, vagus, fulmina iactat et scintillas, ceteroquin autem magis aquosus, quam inflammatus adparet; albugineae facies splendidissima est.

In omnibus morbis chronicis vegetativi systematis adspectus oculorum languidus, vigoris expers, et albuginea tunica nunquam non in his affectionibus magis minusve mutata reperitur, prae ceteris in ictero. Haec etiam pertinent ad phthisin pulmonum, renum, intestinorum, uteri atque hepatis. In phthisi visceris novissime positi, oculus tamen e sordido luteus, vel e fusco flavus, muco squalido passim obductus cernitur, irisque habitum e fusco rubrum et laxum offert.

§. 9.

Quae sit efficacia venenorum quorundam circa oculos.

I. Arsenicum album seu acidum arsenicosum. Inter omnia venena metallica atrocissimum effectum expromit. Praeter phaenomena illa, quae unumquodque veneficium arsenicale comitantur, acidum arsenicosum sequentia inducit symptomata: angor ineffabilis in oculis hominum, veneficio obrutorum notis terribilibus ac desperationem nunciantibus se conspiciendum praebet; oculi fulgent splendentque, vultus torvi sunt, formidine et pavore insignes, et cum impetu e suis orbitis protuberant; aegrotus desperatione consumitur, nec videt quidquam, nec audit, oculi truces, lacrimis quasi madent, annulisque lividis circumcinguntur.

II. Plumbum oxydatum, non solum systema corporis vegetativum et irritabile subigit, verum quoque reactionem virium nervearum disturbat. Oculi hominum in fabricis saturninis operam facientium hebetes ac turbidi apparent, pupilla irregularem refert dilatationem, visus acies paulatim cohibetur, imo tandem amaurosis inducitur.

III. Digitalis purpurea, si modicae eius doses sunt, praeter alia symptomata, levem oculorum caliginem, cum exigua pupillae ampliatione profert. Maiores huius remedii doses, motus convulsivos, vultus rigidos, insignemque pupillae dilatationem cient, sub quibus iris colorem ex rutilo fuscum portendit.

IV. Opium. Doses eius minores v. c. pars grani octava aut quarta alternis horis indita, visui amicae sunt, oculus enim vigorem adipiscitur, et hilarem exhibet vultum, albuginea splendescere incipit, iris paululum contrahitur; ne multa, oculus plane ei similis est, quem laetitia nimia inebriasse videtur. E contrario autem doses opii incautius haustae v. c. granum unum binis horis adhibitum, laeta illa phaenomena per breve quidem tempus induxerunt, mox autem oculum languidum et somnolentum, albugineam e roseo rutilam et vultum hebetem reddiderunt. Si veneficium verum opio factum est, oculos ferox, qualis apud furibundos apparet, procedente tempore vultus ex

toto disturbatur, et iris e fusco rutila est. Pupilla nunquam intensius ampliatur, quod ex venenis aliarum plantarum narcoticarum accidere consuevit, sed speciem induit, ac si homo nervosa apoplexia percussus sit. Praeterea autem instillatio tincturae opii in oculos aegrotos aliquamdiu continuata, paululum inflammationis albugineae et pupillae dilatationem movet.

V. Hyoscyamus niger sensibilitatem corporis ita offendit, ut eam deprimat, et si uberiores eius doses propinentur, oculorum caliginem faciat. Iam Wolfg. Wedel efficaciam huius plantae circa visus organon observavit, et effectus hisce verbis descripsit: „oculorum et faciei rubor, pruritus et gingivarum, quem salia peregrina excitant.“ Avicenna de hyoscyamo albo haec habet: „Caligant oculi, spiritus difficulter redditur etc. Dosibus nimiis extracti hyoscyami nigri in usum vocatis, oculi ab initio fulserunt, tum languerunt, et pupilla haud mediocriter amplificabatur. Himly iridis resolutionem ex hyosciami usu observavit. Si folia recentia per horas aliquot oculis superimponuntur, dilatatio pupillae iridis immobilitas, visusque obnubilatus oriri traditur.

VI. Herba pulsatillae nigricantis, quae teste Pfaff praesertim efficacia specifica circa nervos oculorum insignitur, quippe quae doloribus oculorum perforantibus ac caedentibus, nec non virtute sa-

lutari maxima ad compescendam amaurosin sese prodit. Doses maiores pulveris anemones pratensis, quas medicus circumforaneus viro mercenario infirmo quinquaginta annorum ingesserat, dolores atrocissimos capitis praeprimis vero oculorum cum obnubilatione visus effecerunt, sub quibus pupilla modo aliquantulum dilatata fuit, iris vero tremuit et nonnunquam convulsiones ostendit.

VII. Herba et radix Belladonnae. Haec planta mirum in modum oculorum sensibilitatem offendit, siquidem iam exiguae eius doses flammulas et scintillas oculis eliciunt, nec non diplopiam cum alterna vultus immobilitate excitant. Portiones maiores praeter alias affectiones etiam coecitatem periodicam, oculique ferocitatem procreant, tunica albuginea paulo sordida et pupilla mirifice dilatata apparet, et hance speciem plerumque ad diem usque supremum, qui paralysi subinde inducitur retinet. Extractum belladonnae solutum, vc. Scrupulum dimidium extracti belladonnae, in Uncia dimidia aquae destillatae solutum, de vestigio pupillae ampliationem iridisque immobilitatem gignit.

VIII. Aqua laurocerasi haud minus inimicum effectum ad oculi sensibilitatem exercet, etenim oculus post usum eius languidus aqueus evadit tardeque movetur.

IX. Nux vomica prae ceteris oculum cum partibus suis affligit, si ab aliis totius systematis

nervosi affectionibus discedas. Oculi dolent et ex orbitis propelli videntur, splendent etiam et ferociter fulgent, albuginea rutila et inflammata, pupilla maxime dilatata est, nec raro amaurosis periodica animadvertitur.

X. Datura stramonium. Tam flores, quam fructus et semina inimicissimos cum corpore effectus communicant, etenim oculi terribilem in modum fulminant, et pupilla admodum amplificatur, vultus modo immobiles haerent, modo cum ferocitate vagantur.

Libros, qui de materia pertractata possunt evolvi atque inspici, nunc subiiciam:

L i t e r a t u r a.

Aphorismi Hippocratis accurante Theodoro Iansonio ab Almeloveen, Med Dr. Amstelaedami MDILXXXV.

Hippocrates Coacae praenotiones, praedicta et praeceptiones. Nova editio, e typis Feugueray Parisis MDCCCXI.

Propser Alpinus de praesagienda vita et morte aegrotantium Libr. 7. Venet. MDCI. 4.

Sim. Paul. Hilscheri Pr. de oculis, sanitatis et morborum iudicibus Ien. 1745.

Herm. Paul Iuch r. Schütz diss. de oculis ut signo. Hal. 1752.

Klein interpres clinicus Francof et Lips. 1771. 8.

Christ. Wilh. Haertel Diss. de oculo ut signo Goetting. 1786.

Thesaurus semiotices pathologicae, quem colligit atque edidit Ioh. Christ. Traug. Schlegel Vol. I. Stendal 1787 Vol. II 1792.

Ueber die Zeichendeutung des menschlichen Auges in Krankheiten aus dem Latein übersetzt, nebst einer Vorerinnerung und einigen Zusätzen von Heinr. Nudow. Nürnberg 1791. 8.

Phil. Theod. Meckel r. Fabricio Diss. de signis morborum, quae ex oculorum habitu petuntur. Hal. 1793.

Semiotik, oder Handbuch der allgeminen Zeichenlehre, zum Gebrauche für angehende Wundärzte v. Dr. Ferd. G. Danz. Leipzig 1793, 8.

G. Rud. Boehmer r. Herrich Diss. de ophthalmoscopia pathologica Viteberg 1794.

Das Krankenexamen u. s. w., von Samuel Gottlieb Vogel Stendal 1796.

Kurt Sprengels Haudbuch der Semiotik Halle 1801.

Physiologische u. pathologisehe Zeichenlehre zum Gebrauch akademischer Vorlesungen u. s. w., vom Dr. Chr. Gottfr. Gruner 3te vermehrte Ausgabe. Iena 1801.

L. B. de Quarin animadvers. pract. in divers. morb. Editio aucta Viennae 1814.

Ueber die Bedeutung der Zeichenlehre in der Heilkunde vom Dr. Wolfarth 1811.

Versuch einer Pathologie und Therapie der Geistes- und Gemüthskrankheiten von Alex. Haindorf Heidelberg 1811.

Allgemeine medizinische Zeichenlehre von D. F. G. Danz. für Angehende Aerzte, neu bearbeitet von Dr. Joh. Chr. Aug. Heinroth Leipzig 1812.

Versuch einer medizinisch chirurgischen Diagnostik in Tabellen u. s. w., vom Dr. K. G. Schmalz Dresden 1816.

Gmelin Abhandlung von den giftigen Gewächsen, Ulm 1775.

Emmert Diss. in med. praes. Kielmayer de venenatis acidi Borussici in animalia effectibus Tübingae 1803.

Dölz Versuche über einige Pflanzengifte

Hufelands Beobachtungen der schnellen tödtlichen Wirkung der Blausäure im Journal der grakt. Heilkunde Ian. 1813. S. 85.

M. P. Orfila Toxicologie. Paris bei Brochard 1814.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego, Ernestus Guilelmus Herzog, Die XVIII Mensis Octobris, Anno MDCCXCVI Ballenstadii, Oppido Ducatus Anhaltino-Bernburgensis, natus, patre Henrico Guilelmo, matre Maria e gente Gaertneriana, baptemate evangelicae confessioni secundum Calvini formulam sum adscriptus. Urbis patriae florentem scholam frequentavi, cursuque scholastico absoluto A. MDCCCXIV in numerum alumnorum academiae militaris medico-chirurgicae Berolinensis receptus, annoque sequente, bello inter Borussos Gallosque conflato, munere chirurgi functus sum. Post breve illud studiorum meorum intervallum, sub finem anni eiusdem Berolinum redii, et denuo per triennium continuum litteris medicis vacavi. A. MDCCCXIX militiae

satisfacturus, per tres annos in exercitu Borussorum stipendia merui. Praeterlapso militiae tempore, Die XXX Mensis Martii MDCCCXXII a Cel. Wilken t. t. Rectore magnifico, universitatis civibus adscriptus sum. Per omnem vitam Academicam, ut publicas lectiones omittam, quibus privatis interfuerim, exponam. Beat. Kiesewetter de Philosophicis, de Botanice atque historia naturali Ill. Link, de Physice, Chemia et Pharmacia Cel. Turte disserentes audivi. In omnibus, quae ad anatomiam pertinent disciplinis, Ill. Knape et Ill. Rudolphi, in Physiologia Ill. Rudolphi, Gen. a Koenen et Cel. Osann, in medicina forensi atque arte formulas conscribendi medicas Ill. Knape mihi praeceptores contigerunt. Materiam medicam Cel. Osann, Pathologiam tum generalem, tum specialem, nec non semioticen Cel. Fr. Hufeland, Pathologiam specialem Ill. Horn, Therapiam specialem Perill. Ch. Hufeland mihi tradiderunt. In Chirurgicis Ill. Graefe, Ill Rust, Cel. Mursinna, Cel. Kluge et Exper. Iüngken me instituerunt; in arte obstetricia tum theoretica, tum practica, Cel. Mursinna et Cel. Kluge mihi duces extiterunt.

Denique de medicis Policlinicum Perill. Hufeland, et institutiones clinicas Ill. Horn et Cel. Neumann in nosocomio Caritatis, de Chirurgicis vero clinicum ophthalmiatrico-chirurgicum Ill. Graefe et Cel. Kluge frequentavi.

Omnium horum virorum Perillustrium atque Celeberrimorum institutione adiutus, quantum illis debeam, nunquam obliviscar.

Tentamine et examine rigoroso mense Februario coram grátioso medicorum ordine rite superatis, dissertatione inaugurali conscripta publiceque defensa, non dubito, quin summos in utraque medicina honores per Decanum maxime Spectabilem impetraturus sim.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Omnia fere Emplastra composita e nostris dispenpensatoriis reiicienda esse, existimo.

II.

Therapia in typho, quo simplicior, eo opportunior est.

III.

Carditidem ab aliis pectoris inflammationibus discerni posse, existimo.

VI.

Non quaelibet nausea, vomendi conatus, et vomitus ipse, emetici usum postulant.